

Tricesimae et proventus earum a Poseniensi usque ad Mare Adriaticum, ad Cameram Ungaricam applicandae; et de modo collationis Praefectarum et Officiorum.

A R T I C U L U S 33.

Post clementem suae Majestatis annuentiam et declarationem elargitam, statuitur quoque; ut amodo deinceps, omnes et singulae Tricesimae, earumque proventus, a Poseniensi usque ad Adriaticum Mare erectae, ad Cameram Ungaricam applicentur. *)

§. 1. Earumque Praefecturae et Officiolatus nativis Ungaris et Partium Regni Ungariae annexarum Indigenis, iisque bene meritis conferantur. **)

De cursu juris et Judiciorum Octavalium, item; Generalium et Brevium celebratione per totum Regnum observando.

A R T I C U L U S 51.

In Sclavonia porro, pro festo Epiphaniae et Sancti Jacobi Apostoli in Civitate Montis Graecensis Zagrabiensis celebrentur.

Transmissiones per Dominum Palatinum pro Octava festi Epiphaniae in Civitate Novisoliensi revidendae.

A R T I C U L U S 52.

§. 1. Salvo tamen permanente pro Regno Sclavoniae eodem termino judiciorum Octavalium.

Praepositus Ecclesiae Zagrabiensis per Regales literas ad Comitata vocandus: isque et unus Nuntiorum Regni Sclavoniae inter Praelatos, Barones et Magnates locum et vocem habeant.

A R T I C U L U S 61.

Denique ob certos, eosque rationabiles respectus, Status et Ordines unanimiter concludunt; ut imposterum futuris semper temporibus Praepositus Zagrabiensis pro tempore existens, peculiaribus literis Regalibus vocetur ad Comitata et inter Magnates locum et vocem habeat:

§. 1. Similiter unus ex Ablegatis Regni Sclavoniae, inter Magnates vocem habeat: Reliquis ablegatis, inter Regnicolas solitum locum et suffragium retinentibus.

*) Urgetur haec applicatio; An. 1630. a. 15. Quae deinde subsecuta, ut perseveret, statuitur; An. 1635. a. 30. Quod confirmatur; An. 1741. a. 14. §. fin.

**) Prout jam constitutum erat; An. 1618. a. 18. Et aliis ibid. citt.